Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



160

chelbeckium Hist. Fris. t. I, p. 2, instr. 1277, Purchart et filius de Mosgurch: et instr. 1294, Purchart Advocatus de Mosgurch: et instr. 1310, Purchardus Mosburgensis Advocatus: et instr. 1313, Purchart de Mosgurch. Circa idem tempus, scilicet ab anno 1112 usque ad annum 1122 floruit Burcardus quidam in Carinthia, nobilissimus Princeps et Marchio. Auctor vitae Conradi I Salisburgensis Archiepiscopi c. 6 apud Bern. Pezium Anecd. t. II, ita habet: De hoc Berchtoldo, scilicet electo Archiepiscopo Salisburgensi, rex exigit aliqua dicere. Nos cupiditati lectoris satisfacere cupientes, de Moosburg hunc fuisse, fratrem nobilissimi Principis, Burcardi nomine, auctimus. Extat etiam in Archivo Civitatensi instrumentum Aticae viduae Burcardi Marchionis; quod quidem datum refertur anno 1130, sed Indictio XV datum ostendit anno 1124, apud Rubeis Mon. Aquil. c. 63. En illud:

Vobis Conrad et Machilt ambo jugales, filie et genero meo. Ego quidem in Dei nomine Atica, relicta quondam Purchardi Marchisi, una cum propinquo meo Wilelmo de loco Purolo, qui professus ex nacione mea lege vivere Baiwaria -- dono vobis quantum mihi pertinet in Regnum Italicum in primo loco et mihi obvenit ex parte paterna vel materna, seu ex parte viri mei Purchardi. In primo vero loco in Baiwaria in loco, qui dicitur Antrudorfs; seu et in Carintania in loco, qui dicitur Vilas, et Infric, et in Ostric in loco, qui dicitur Merscanswert, cum omnis juris ad ipsum predium pertinentem, et familia vel mobilia; seu et in Comitatu Forojulii juris mei superius dicti, una cum accessionibus et ingressibus suis, seu cum superioribus et inferioribus suis, qui supra legitur: in integrum abhac die vobis, quorum supra, jugales pro superscripto Launechild trado, do, nulli alii venditas, datas, donatas, vel traditas, obnoxiatas, nisi vobis. --- Quidem et ad hanc confirmandam donacionis Cartulam accepi ego, qui supra, Atica, a vobis jam dictis Conradus et Machilt Launechilt, manicias duas; ut hec mea donacio inter vos, vestrisque heredibus, cartula istu omni tempore firma et stabilis permaneat, atque consistat.